

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 647

**Auteur(s) :** Guillaume III Ptolomeus, Avranches (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1207, 16 novembre-1209, 8 octobre]

**Action juridique :** règlement conflit

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de Guillaume III, évêque d'Avranches, au sujet de dîmes à Bazoches

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° XC, p. 120-121.

## Dissertation critique

Datation proposée par p. Laffleur de Kermaingant.

Texte établi d'après a

Universis sancte matris Ecclesie filiis Willelmus, Dei gratia Abrincensis episcopus, et Robertus Sancti Andree de Goffer et Walterus de Falesia abbates, eternam in Domino salutem. Universitatem omnium scire volumus quod, cum quondam questio veteretur inter Radulphum, abbatem, et conventum Sancti Michaelis de Ulteriori Portu, ex una parte, et Robertum de Mombrai, ex altera, super quibusdam decimis et obventionibus ecclesie de Basoches, tandem in curia venerabilis patris Walterii, quondam Rothomagensis archiepiscopi, nostro stare compromiserunt arbitrio, et hoc fide corporaliter hincinde prestita se fideliter servaturos firmaverunt ; postea processu temporis, die prefixa, loco determinato, partibus in nostra presentia constitutis et vocatis, Robertus de Mombraio, ad quem presbiteratus et capellania ecclesie Sancti Petri de Basoches ex presentatione predictorum abbatis et monachorum de Ulteriori Portu pertinebat, recognovit in jure et confessus est quod dicte partes decime et omnium decimarum bladi et leguminis totius predicte parrochie de jure et antiqua consuetudine ad supradictos abbatem et monachos pertinebant, exceptis decimis quorundam agrorum, de quibus abbas et monachi singulis annis capellanie ecclesie de Basoches unam minam ordeï restituere tenentur. Recognovit preterea idem Robertus quod medietas decimarum lini et canabis, agnorum et porcellorum et lane, fructus gardinorum et medietas obventionum denariorum, in die Natalis Domini, Pasche et Ascensionis Dominice, ad eosdem monachos in usus proprios pertinebant. Abbas vero, pro se et conventu suo, recognovit et confessus est quod cetera decime et obventiones predicte ecclesie de Basoches ad presbiteratum ipsius ecclesie de jure pertinebant. Et sic omnis controversia et contentio, que supra predictis inter partes versabantur, in presentia nostra conquievit. Ne vero posset in dubium revocari, nos totam rei seriem presenti scripto et sigillorum nostrorum testimonio perhennare curavimus et confirmare. Testibus hiis : Hugone Livet, Willelmo Bacum, Nicholao de Veteri Ponte, Rogero Guillou et pluribus aliis.